...lberti
...Musarum, in qua quaeritur utrum Orbes coelorum universales naturalem motum concernenter, denario numero comprehendantur.

SPHÆRA MVSARVM,

IN QVA QVÆRITVR

V. Orbes Cœlorum vniuersales natúralem motum cócernẽtes, denario numero comprehendantur.

PROPOSITA

A

M. ALBERTO GNIATKOWIC,

Anno restitutæ salutis, M, DC. XXV.

Mense Die Hora.

CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.

In Hieroglyphicum Virtutis LVBIENSCIANÆ.



Herculeis certat virtus Lubienscia signis
Vincit & Ægyptij, symbola clara, soli.
Quidni Wolhyniæ victrix speratis abibit?
Dum trahit vnanimes, ad iuga sacra, boues
Indomiti, quod si turbârint pabula læta,
Ense cadent merito, victima iusta, Deo.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. MATTHIÆ ŁVBIENSKI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO CHEŁMENSI, PRÆPOSITO MIECHOVIENSI, &c. &c.

Domino & Patrono ampliss.

PRodeunt in lucem sub auspiciis T. Cel. Illustrissime Præsul Sphæricæ Musæ, simplices quidem non inficior, quia sub manu natæ, suam tamen teneritudine gratiam balbutiendo etiam habituræ: incomptæ & paupere cultæ, quia per fortunam nitidioribus esse non licuit, nam in candore venustatem suam posuêre: pudentes præterea, quia verecundari vt clientes consueuerunt, & vt apud illibati candoris, pietatis, & pudoris Aristarchum ac Patronum locum quæsituræ. Nec equidem diffidunt in T. Cel: comitatis & hospitalitatis sinu se conquieturas, vbi tot humanitatis proposita vident inuitamenta, & pietatis erecta asyla. Quin magis in spem eriguntur, prima adhuc illa probitatis & e-

eruditionis intuentes eaq; luculentissima argumenta, quæ iam elucescere cœperant, cum tres mutuo consensu fratres sapientiæ desiderio inflammati, cælibes omnes, innubæ Palladi aureum pomum T. Cel: ductu adiudicarent. Iam enim exinde vt magna sibi ex V. Cel. familia promittebant præsidia, ita intellectum omni scientia imbutum, mores virtutibus ornatissimis perpolitos, reddere conabantur. Ac proinde blandius fouendo, fidelius aperiendo, copiosius è suo copiæ cornu infundendo, illustrius commendabant. Imò & eam mentem inspirârunt, vt nihil non nisi solerti ingenio Cel. V. dignum, non nisi sapientiæ consentaneum, pietati debitum, ad meditandum & aggrediendum persuaderent. Hinc & ad illud omni memoriâ dignissimū, & nequaquā cum aliis vetusti & præsentis æui pietatis opus comparandum, studia accederunt, vt post plurima alia pietatis exempla illud quoque pro Archetypo æternum maneret. Nempe vt humeris nō nisi filiorum, defunctum piissimæ parentis corpus humandum ad id duce T.C. deferetur. Cui quæ oro pietas non dicam maior sed par potest reperiri? aut quod maioris obseruantiæ exemplar? aut quæ virtus maiori dignior admiratione? quam videre ita inter se coniunctos fratres, vnius consilium sequentes, ita amore, studio, officiis pietatis, inter se certantes, vt in conspectu, quatuor veluti quædam cardinalium virtutum columnas, in quibus iam non modò familiæ verum etiam Reipub. & Eccles: salutem

lutem niti crederes. Sileant iam hic Cleobis & Biton parentem Antistitam currui iuncti in templum deducentes, pro quo pietatis officio (id quod optimum Diis visum) mortem illis mater impetrauit. At certe quantò maiora à C.V. præstita sunt beneficia, tantò illustriora pro meritis diuinitus collata sunt pietatis honestamenta. Facessat iam & hinc Æneæ fucata pietas, aut vt ita dicam detestanda crudelitatis impietas, qui licet parentem è mediis flammis sustulerit, at longè maius impietatis facinus cōmisit. Quorsum enim parentem eripere profuit? si quidem patriæ magnæ parenti excidiū sua proditione comparauit: qua salua nec eripiendus pater, nec toto septennio, mala perpeti necesse fuisset; quin & multò grauiora apud inferos subeunda erant tormenta quæ à Phlegia ingeminante audiuit. Vēdidit hic patriā. *Verū longè alia est V.C. pietas quā vt nulla vnquam obscuratura est impietatis suspicio, ita nulla vnquam abolitura eam hominum obliuio. Quippe non minori studio, opera, sollicitudine, communē hanc parentem tot periculis circumseptam, tot dissidiis laborantem, calamitatibus lancinatam, illo pietatis ardore, consilij salubritate, ingenij dexteritate. C.V. toties conseruauit, fouit, & tutata est, illud toties ingeminando se malle quiduis perpeti, & millies mori, quam in aliquod discrimen patriam duci permittere, vt iure ipsa toties ab intestinis dissidiis à C.V. se conseruatā referat in acceptis. Quibus meritis pensandis quod iam*

manet præmium nempe non aliud quam quod Scipioni promissum. Omnibus qui patriam conseruârint, adiuuerint, certum esse in cælis ac definitum locum, vbi beati sempiterno æuo fruuntur. Cuius quidem rei nec dubia possunt esse argumenta, eos omnes qui Reipub. ad clauum sedent, datos in signa & sydera, qui tanquam in zodiaco, hanc sublunarem sedem conseruent, tueantur, & amplificent. Quamobrem vt olim alumnum nunc iam virtutibus illustrem, gratia polentem, honoribus sublimem, Protectorem & Patronum musæ C.V. suspiciunt, ita exoratā esse cupiunt, vt defensorem & propagatorem suorum incrementorum inueniant. Nunc à C. V. tanquam à sydere lucem & splendorem expetunt, vt eas prout Iustitiæ candor postulabit, amænioribus radiis exhilaratas, tanquam clientes, æternum debituras, vna cum Academia, sinu benigniore, quemadmodum alios fouere consueuit, complectatur. E Musæo Nouoduorsciano. XXI Cal. Nouembris.

Illustr: V. Cel.

Obseruantissimus

M. Albertus Gniatkowic.

CONCL: PARTIC: I.

Proxima telluri Lunam regit ima Thalia.

COllis aprici iuga ſacra Cirrhæ
Quę doces ſuaui reſonare metro,
Corda permulcens hebetata curis,
Blanda Thalia.
Nunc tuum dulci melos ede plectro,
Deliæ laudes celebrans Dianæ,
Necte cum Nimphis nitidas virente
Flore, COROLLAS.
Inter ô cunctas Iouis vina natas,
Quas Polus paſcit rutilo ſub axe,
Prima poſt Phæbum, ſuperas nitentes,
Luna ſorores.
Cuius ad cunas tenebris opacum,
Profugit Phæbo chaos impetente:
Rurſus & tellus ſtupuit coruſcum,
Lumen in orbe.
Tu vices Phæbi radiantis imples,
Oſculo dulci faciem decoram,
Montibus præbens, tenebras repellis,
Nocte profundas.
Inuocant & te prece iam frequentes,
Congruo vt terras ſaties liquore,
Et neque ex promas metuenda diræ
Spicula mortis.

CONCLVSIO II.

Mercurij Euterpe curſus moderando reuoluit.

MVſis amico dic age tibiâ
Euterpe acutum, vel fidibus melos.
Atlantidæ munus laborum
Laudibus himniſonis adornans.
Hic grande mundo conſilium Deûm
Delapſus affert æthereâ domo,
Mærentium votis fauendo,
Conciliat ſuperis nocentes.
Cultus rudes hic primus & artibus,
Mores poliuit, viribus eloquiî,
Alumnus atqué pacis autor,
Pectora carminibus regendo.
Illum ſecuta eſt turba canentium
Adſtricta blandè torquibus aureis
Quocunq; blanda voce flexit
Greſsibus haud trepidis morando.
Dextræ potentis ſuccubuit ferox,
Illius, Argus, centoculus vigil,
Ergaſtulum durum reuulſum,
Reddita virgo fuit parenti.
Pleiade natum, triſtia Tartara,
Horrent, potentem, qui reuocat, Polo
Virgâ aureâ vmbras hinc ſilentes,
Deſtinat Orco alias profundo.

CONCLVSIO III.

Ore nitens Erato Veneris ciet ordine sphæram.

Iambus.

Venus diei nuncia
Ocelle noctis lucide,
Cuius coruscâ lāpade
Mundus capit solatiū.
O nata Cæli splendidi
Proles, pudico pectore,
Infesta turpi Cypridi,
Virtutis altrix inclytæ.
Te Gratiarū prosperam
Vocāt parentē virginū,
Virtute quarū candida,
Ardent Deorū pectora,
Melos venustæ Aglaiæ
Pertentat ima pectora,
Fusum tenellis auribus
Blādo vt resultent gaudio.
Oris decorem candidum,
Colorat ast Pasithea,
Pudici amoris conscia,
Complexa, stringit brachia.

Forma nitens Euphrosine
Mentē venustans decore,
Virtutis almæ flammulas
Depangit imis sensibus.
Castus pudoris aliger,
Forma ex earū candida,
Accendit ignibus faces,
Quas ingerat mortalibus.
Sic matre casta prodita
Proles, venusta virginum,
Amore casto vinciens,
Virtutis amplexu fouet.
Vires decus tum gratiam
Confer tuis cum Gratijs,
Impacta quorū mentibus
Virtus inhæret firmiter.

Forma

Solis

CONCLVSIO IV.

Solis in ardenti Phæbus nitet aureus axe.

O Autor nitidi luminis & parens
Qui mundo reſeras contegis & diem,
Quicquid vel latuit promis in æthera,
Infundens rutilum ſyderibus iubar.
Sit fas Latoides, tollere laudibus
Te, cunctis celebrem muneribus ſacris,
Quæ cælo altiſono, quæue mari vago,
Et terræ patulæ, lumina diuidis.
Seu mentem gemini dixerimus Poli,
Seu orbis nitidi flammigeram facem,
Aut vitæ placidæ, te fomitem pium,
Quin plus his titulis iam meritò obtines.
Tu Princeps alacris Pieridum chori,
Nil mundo & ſupereſt te ſine ſplendidum,
Quicquid vel placidi Gorgoneus liquor,
Fundit, melliflui te duce carminis.
Tu chordas tenues, pollicè temperas,
Ter trinos numeris inſtituens tonos:
Vel cantu placido, vel fidibus tuis,
Primus mæſta leuans, corda doloribus.
O Fili Triuiæ, Chaonii ac Iouis,
Qui Lunæ nitidæ lampada ſuppetis,
Præſta te facilem ſupplicibus viris,
Poſcunt da placidos corporibus dies.

Flammi

CONCLVSIO V.

Flammiferum Clio Martis contemperat axem.

PArens virorum fortium & dux, gloria,
Decusque vitæ strenuæ,
Tuo quod vsquam est sub Polis præfulgidum,
Splendore, fulget inclytum.
Nil & tremendis obsitum periculis,
Quin cedat ardori tuo.
Tuis Quirinus est pater laboribus,
Polos adeptus splendidos,
Ira, metu, furore, seruis horridis,
Stipatus, & discordia.
Huc bella, cædes, mittit, atque funera,
Gaudens litari sanguine.
Quocunque dextram porrigit, victricia,
Sequuntur, arma, protinus.
Iners, inerue, excors, quod est hinc auferens,
Terram repurgat sontibus,
Exsucca flammis vt cremantur gramina,
Quo noua surgant firmius.
Satis sed est datum feris iam cædibus,
Genti nec vlli parcitum.
Hunc tu fauentem redde nostris finibus,
Hostis ne sæuus ingruat.
Id poscit à te supplici mundus prece,
Terris quietem reddito.

CONCLVSIO VI.

Terpſichore ætherei rutilo Iouis imperat orbi.

SIc te ſumme pater Deûm
Cultu quô deceat Terpſichore colat
Quali vel ſuperum chorus
Vel cætus hominum gratus honoribus
Dignatur gemino in Polo
Quem ditas vario munere largius.
Regem Sydereæ domus
Et tellus Dominum, te colit vt ſuum,
Horrent ſæuaque Tartara.
Comples quippe tuo ſingula numine.
A te principium boni
Quidquid terrigenis cælitus accidit,
Quidquid ſubtrahitur mali
Declinant miſeri, te Duce proſperè.
Tu Martis facibus feris
Frontem ne feriat candidulam, obiicis.
Neu terras premat ignibus,
Quo reddat rigidum ſeminibus ſolum.
Aſt te frugiferum cupit
Tellus luxurians meſsibus optimis.
Iam ſeu tu Iapeti caput
Findis centipedis, fulmine flammeo.
Agnoſcit trepidum Iouem.
Clementem aſt miſeri largifluum patrem.

CONCLVSIO VII.

Saturni gelidi ſtellam Polyhymnia ducit.

ET tu decrepitæ decus ſenectæ
Adſis falcitenens ſator Deorum,
Qualem te Auſoniæ ſonant Camænæ
Florebat Duce ſæculum aureum quo.
Tanto proſperius beatiusq́ue
Quantum nunc ſuperantur atra ſaxa
A ſplendenti adamante vel ſmaragdo.
Hac te laude ferunt piüm vetuſtæ.
Lumen iuſtitiæ vigere, quale
Primum cum Latius videbat orbis.
Doctus, qua ratione prata reddi
Poſsint, lætius & venire meſſes.
Te regnante pecus ferebat vltrò
Pallans, vbera plena lacte pingui.
Tum tellus nitido affluebat auro.
Et paſsim liquidum mel in virente
Sylua per rigidas fluebat ornos,
Nec tum terrificus dolo patebat hamus
Mutis piſcibus, aut aues timebant
Caſſes, cuncti homines ſimul feræq́ue
Viuebant placidum malis ſoluti
Curis, ſollicito & timore pulſo.
O tandem Pater iſta redde mundo
Ægro ſæcula, te ferent perennem.

Octa-

CONCLVSIO VIII.

Octauam rutilans torquet Cithariſtria Sphæram.

DEſcende æthereo Melpomene polo,
Parnaſsi decus inclytum,
Quæſo & commemora qualia diuidis
Aſtris munera ſpendidis,
Seú te ſyderam perhibeant facem,
Mentem aut ſigniferi Poli,
Virtutem aſtriferam nunc alius vocet
Cæli præſidem in orbibus.
Seu mundi rutili nomine diceris
Monſtrans nil niſi ſplendidum.
At tu ſiue regis lucida ſydera,
Paſcens cum grege ſplendido.
Seu vitæ placidæ perpetuum iubar
Fundis, ſydereâ plagâ,
Et ſyluis rigidis & teneris ſatis,
Spargens atque animantibus,
Necnon terrigenum, ſenſibus ingeris,
Addens particulam ignibus,
Quos natura Parens, æther & attulit,
Sic te mittis ad omnia,
Dum campis rigidis munera diuidis,
Quæ plantis faueant ſuis.
Nunc te, nunc facilem, ſi tua numina
Poſſunt, omnibus exhibe.

None

CONCLVSIO IX.

Nonæ Calliope sphæræ moderatur habenas.

Psalle voce psalle chordis,
Psalle flexili tubâ,
Blanda Calliope sorores
Iunge casto cætui
Dulce carmen & melodū
Personet cum iubilo,
Sume plectrū, pelle terrā,
Iunge plausus cantibus
O beata ter quaterque
Musa, cuius canticum,
Syderum mentes beatæ,
Audiunt cum plausibꝰ.
Tu Polorum voce blanda
Personas harmoniam
Qui nouēnis dulce plectris
Vsq; carmē integrant.
Quin & ipsæ de profūdo
Tartaro vmbrę cātibus,
Euocato Dite sæuo
Sentiunt dulcedinem
Inde & ægra mens virorum
Ampla carpit gaudia
Dum tuis defixa donis
Conquiescit suauiter.

Quā frequēter dura dulci,
Ira, cantu frangitur,
Efferrata, molliuntur,
Voce suaui, pectora.
Te parente, te magistra,
Orpheus testudine.
Ducit ornos, flectit hirtis,
Saxa dumis obsita.
Audientes obstupescunt,
Voce suaui Tygrides,
Te canente, belluinos
Corde mores exuunt.
Ergo dulcis musa, cantum.
Ede blādis vocibꝰ (das.
Fūde carmen, tange chor-
Iunge plectra plausibus.
Flecte mētes, strīge corda,
Redde pacis fædera,
Vt quies pergrata Musis,
Floreat perenniter.


Quam Stellati

Stellati princeps nitida est Vrania cæli.

AOnidum castas inter lux prima sorores
Astrifera Vrania.
Huc ades extremum & tibi ne aspernare, laborem
Quo tua dona canas.
Nata Deo & summi diîs acceptissima cæli
Munere sydereo.
Digna quoque in terris seclo ast meliore morari,
Si modo fata sinunt.
O quam felices quibus est cognoscere sanctam
Te & tua iura datum.
Quæ dum Iustitiæ sancis pia fædera mundo
Legeque fixa facis.
Nil nisi quod rectum & sancta pietate refulgens
Ad tua regna venit.
Conscia virtutis propriæ castique pudoris
Sic temerata premis.
Te duce prima abeunt teneri contagia secli
Nec reditura ruunt.
Impietas postquam excreuit segetesque malorum
Cælica regna petis.

CONCL: VLT: VNIVERS.

Tot Musæ motus orbibus esse canunt.



Aurea regalem ſpargebant ſceptra decorem,
Olim Academiam & regia fouit auis.
Scepta POLONE tibi, & Litauis, dixit APOLLO
Fæderis in ſignum, quæ mihi dantur, erunt.
Regna ruent, ſi ſceptra cadent, ſi integra manebunt
Hæc veluti geminos, ſceptra tuere, POLOS.